

## **DE VERA ET PERFECTA LETITIA [VPLet]**

«<sup>1</sup> Idem [fr. Leonardus] retulit ibidem quod una die beatus Franciscus apud Sanctam Mariam vocavit fratrem Leonem et dixit: “Frater Leo, scribe”. <sup>2</sup> Qui respondit: “Ecce paratus sum”. <sup>3</sup> “Scribe – inquit – que est vera letitia.

<sup>4</sup> Venit nuntius et dicit quod omnes magistri de Parisiis venerunt ad Ordinem: scribe, non vera letitia. <sup>5</sup> Item quod omnes prelati ultramontani, archiepiscopi et episcopi; item quod rex Francie et rex Anglie: scribe, non vera letitia. <sup>6</sup> Item quod fratres mei iverunt ad infideles et converterunt eos omnes ad fidem; item quod tantam gratiam habeo a Deo, quod sano infirmos et facio multa miracula: dico tibi quod in his omnibus non vera letitia.

<sup>7</sup> Sed que est vera letitia? <sup>8</sup> Redeo de Perusio et de nocte profunda venio huc, et est tempus hyemis lutosum et adeo frigidum, quod dondoli aque frigide congelate fiunt ad extremitates tunice et percutiunt semper crura, et sanguis emanat ex vulneribus talibus. <sup>9</sup> Et totus in luto et frigore et glacie venio ad hostium, et postquam diu pulsavi et vocavi, venit frater et querit: ‘Quis est?’ Ego respondeo: ‘Frater Franciscus’. <sup>10</sup> Et ipse dicit: ‘Vade, non est hora decens eundi; non intrabis’. <sup>11</sup> Et iterum insistenti respondeat: ‘Vade, tu es unus simplex et idiota; admodum non venis nobis; nos sumus tot et tales, quod non indigemus te’. <sup>12</sup> Et ego iterum sto ad hostium et dico: ‘Amore Dei recolligatis me ista nocte’. <sup>13</sup> Et ille respondeat: ‘Non faciam. <sup>14</sup> Vade ad locum Cruciferorum et ibi pete’.

<sup>15</sup> Dico tibi quod si patientiam habuero et non fuero motus, quod in hoc est vera letitia et vera virtus et salus anime”».

Edidit B. BUGHETTI, *Analecta de S. Francisco Assisiensi saeculo XIV ante medium collecta (e codice Florentino C. 9. 2878)*, in *Archivum Franciscanum Historicum* 20, 1927, 107)